



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

51. An Regulares pro concionibus debeant ab Episcopis examinari? Et an  
Parochus possit bis, vel ter dare licentia[m] Regulari valde docto, & gravi,  
& noto, aliàs ibi no[n] approbato, ut prædicet in ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

2. Nota tamen, quod in Ecclesiis Regul. possunt, Episcopi diuina Officia priuata, & publice audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter populo ibidem benedicere, per illa verba: Sit nomen Domini benedictum, &c. & ibidem facere coram se celebrari, sed sine Pontificalibus; non possunt tamen propter hoc in dictis Regularium Ecclesiis ea, quae iurisdictionem dicunt, exercere, vt christmare, ordinare, confirmare, degradare, &c. possunt tamen in dictis Ecclesiis Baldachino vti, & contradicentes Fratres ad id possunt penitus, & censuris Ecclesiasticis cogi, per decretum Sacrae Congregationis, datum Romae die 1. Junij 1603. Et haec omnia inuenies apud Peirinum vbi supra num. 45.

Sup. hec in Ref. not. seq. s. Aliam. & lege etiam aliam Ref. eius not. Pro Christmare, &c. etiam cursum in Ref. seq. s. 1. ad medium.

RESOL. I.

An Episcopus, inuitis Regularibus, possit in eorum Ecclesiis convocare Processiones, & Ordinationes, & Confirmationem facere, vel cogere, vt ibidem reus vinculus detineatur? Et an Inquisitores, inuitis Regularibus, possint eorum Acta publica in Ecclesiis celebrare? Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Refol. 47. alias 48.

§. 1. Negatiuam sententiam tenet Tamburinus de iure Abbatum, tom. 1. disp. 15. quest. 15. num. 10. vbi sic ait: [ Neque tamen Episcopi in locis exemptis Ordinationes celebrare: quia est iurisdictionis. Anchar. in dict. Clement. Archiepiscopo, num. 8. Cardinal. num. 3. in princ. & in 8. Sic tamen, num. 1. Imol. num. 4. Abbas num. 3. Vitalin. num. 20. Neque Confirmationis Sacramentum ministrare: quia habet mixturam iurisdictionis, & officij Episcopalis. Anchar. Cardin. Imol. Abb. & Vitalin. locis proximè citatis. Neque degradare. Ancharan. ibid. num. 10. Neque facere processiones solemnes, & generales: quia est potius officij, quam honoris Episcopalis. Vitalin. ibid. n. 55. ] Et hanc sententiam tenet Portel, vbi infra.

Et pro contento in lin. 2. s. Aliam, huius Ref. in Ref. 1. not. praeferat cursum in principio 6. vlt. & lege etiam doctrina Ref. 2. signat. s. Quod, & aliorum eius not.

2. Sed non desunt Doctores Episcopis hanc auctoritatem tribuentes, & ex Regularibus ita tenet Pater Bordonus in consil. Regul. tom. 1. resol. 7. num. 132. & Pater Lezana in Mari Magno Carmelitar. §. 75. num. 423. Ratio est, (ait ipse) quia hoc videtur jus Episcopale, iuxta dicta tom. 4. verb. Processio quoad Regulares, num. 4. & priuilegium, de quo in praesenti, & alia similia, quibus prohibentur Episcopi Conuentus publicos in Regularium domibus convocare, intelligi debent de Conuentibus odiosis, contentiosis, aut praedicialibus, non de illis, qui cedunt in honorem, & estimationem Religionum, quales sunt Processiones.

3. Aliam rationem adducit Bordonus: quia Episcopi in Ecclesiis Regularium possunt exercere Pontificalia, aut Pontificalibus paramentis cum Mitra, aut etiam sola Cappa vti: at haec ratio displicet Lezana, vbi supra. Verum, quicquid sit de hoc, etiam si standum esset in prima sententia negatiua; certum est, illam non procedere quoad Inquisitores nostri sacri Tribunalis: ipsi enim, etiam Regularibus inuitis, possunt eorum Acta publica in eorum Ecclesiis celebrare. Et ideo sic ait Portel in dubijs Regul. verb. Processiones, num. 10. [ Non potest iudex saecularis, aut Episcopus, convocare Processiones, facere Ordinationes, vel similes actus in Ecclesiis Regularium, inuito illarum Praelato: neque cogere, vt ibid. retineatur reus vinculis; secus de Inquisitoribus sancti Officij. ] Ita ille.

4. Nota, quod post haec scripta in lucem prodit Tomus secundus Consiliorum Patris Bordonij, qui in resol. 68. quest. 6. num. 21. se retractat de opinione, quam loco vbi supra citato, docuit, & tenet, Episcopum non posse in Ecclesiis Regularium Processiones ordinarias convocare. Et, vt verum fatear, hanc negatiuam sententiam sequendam esse existimo.

RESOL. LI.

An Regulares pro Concionibus debeant ab Episcopo examinari? Et an Parochus possit bis, vel ter dare licentiam Regulari valde docto, & graui, & noto, alias ibi non approbato, vt praedicit in sua Ecclesia? Et an Fratres Minores, & Praedicatores, & similitur communicantes in eorum priuilegijs praedicanes in suis domibus quocumque anni tempore possint concedere auditoribus 18. annos ac 320. dies Indulgentiarum, & extra suas Ecclesias, vt in calce huius Ref. & hoc ex varijs Pontificum priuilegijs; Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 22.

§. 1. Affirmatiue respondet Henriquez lib. 10. cap. 23. in gloss. lit. L. vbi docet Episcopos posse examinare Regulares ad Ordines, confessiones, & conciones.

2. Verum his non obstantibus de iure negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam docet Mauritius Alzedus in praxi Epist. p. 2. cap. 13. num. 104. Barbosa de potest. Epist. part. 3. allegat. 76. num. 23. Hieronymus Rodriguez in compend. 99. regul. ref. 112. num. 2. & ante illos Miranda in Manuali Praelatorum, tom. 1. quest. 50. ar. 2. concl. 1. quia est dispar ratio de Confessoribus & de Praedicatoribus; nam Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 15. agens de Sacerdotum approbatione pro audiendis confessionibus saecularium, inquit. Nullus etiam Regularis ad id idoneus reputetur, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut licentiam ab Episcopis obtineat per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, quod nullatenus dicit, quando agit de Praedicatoribus Regularium. Cum igitur vno in loco mentionem faciat de examine faciendo, si Episcopus videbitur necessarium, non verò alio in loco agendo de Praedicatoribus, planissime apparet, nostram sententiam veram esse, nam vbi Concilium vult hanc auctoritatem Episcopis supra Regulares concedere, id expressit: ergo quando non expressit, non concessit. Verum post haec scripta inueni sacram Cardinalium Congregationem in vna Voentiu. sub die 22. Ianuarij 1622. declarasse, posse Episcopos examinare Regulares praedicare volentes in Ecclesiis quae non sunt eorum Ordinum.

3. Notandum est etiam hic obiter posse Parochum bis, vel ter, dare licentiam Regulari valde docto & graui, & noto, alias ibi non approbato, vt praedicit in sua Ecclesia. Quod maxime verum erit, si Praedicator sit in itinere. Ita Portel in dubijs Regular. verb. Praedicatores, num. 2. vterque Rodriguez, Hieronymus & Emmanuel, ille in compend. 99. Regul. ref. 112. num. 4. hic in 99. Regul. tom. 3. quest. 32. ar. 1. quibus adde Barbosam vbi supra n. 26. & alios penes ipsum.

4. Et tandem nota quod Fratres Minores & Praedicatores, & similitur communicantes in eorum priuilegijs, praedicanes in suis domibus quocumque anni tempore, possunt concedere suis auditoribus decem

# De Dubiis Regularium. Resol. LII. &c. 35

decem & octo annos ac trecentos viginti dies Indulgentiarum; extra vero suas Ecclesias ultra dictos 18. annos 222. dies tantum. Ac tempore Quadragesimae praedicantes apud suas domos ferias 2. 4. & 6. centum quinquaginta sex annos, & viginti quatuor dies, & hoc ex variis privilegiis Pontificum, quas quidem Indulgentias dicti Praedicatores debent expressè concedere nomine suae Sanctitatis, aliàs auditores illas non lucrantur. Ita Hieronymus Rodriquez ubi supra, resol. 112. n. 20. & resol. 77. n. 58. Portel in dub. regul. ver. Praedicatores num. 15. Miranda in manual. Praelat. tom. 1. q. 50. art. 10. & alij.

Vnde supposita quod si vera, non est ab ea recedendum.

## RESOL. LIII.

An Episcopi possint examinare Regulares, qui praedicare volunt in alienis Ecclesiis?  
Et an saltem Religiosi Mendicantes semel examinati in una Diocesi ad praedicandum, non possint in ea amplius examinari? Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Resol. 42. alias 41.

## RESOL. LII.

An Regulares sint ab Episcopis examinandi si munus praedicationis. exerceere velint in alienis Ecclesiis? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. Res. 20.

**P**ro negativa sententia in 3. part. tract. 2. resol. 111. adduxi Mirandam, & Rodriq. quibus nunc addo Cyprianum Croufers in Regulam S. Francisci. cap. 9. lect. 1. ubi probat ex Concilio Tridentino sess. 5. cap. 2. quod tam examen quam approbatio Praedicatorum regularium, ab universitate Episcoporum ibidem congregatorum, non committitur Episcopo loci, sed Superioribus Ordinis quibuslibet respectu suorum; nec, ut regulares praedicare possint in Ecclesiis Diocesanae, praeter examen, & approbationem Superiorum, examen aut approbationem ipsius Diocesanum requirit: sed solum eiusdem licentiam, quam gratis concedere iubetur. Quapropter, sicut fratres non tenentur se subicere examini Episcopi, neque etiam Episcopus iure id exigere potest à fratribus, & contra dispositionem Concilij Tridentini, facit, si tantum, quia fratres nolunt se eius examini subicere, non vult eis dare licentiam praedicandi in Diocesi: sicut iniquè ageret Parochus; qui nollet illos, qui ad praedicandum admissi sunt ab Episcopo, praedicare in Parochia sine sua licentia speciali; quod si quaerant Ordinarij, quo privilegio praedicatores mendicantium exempti sint ab eorum examine? Respondetur, esse exemptos iure Concilij Tridentini, cui subscriserunt omnes Episcopi Catholici: ubi verò Concil. Trident. non est receptum, praedicatores Ordinum mendicantium, ab Ordinario examine sunt exempti, per Clement. Dudum, de sepulchris. Ita Croufers. Et novissimè hanc sententiam docet etiam Ludovicus Cellotius de Hierarchia. lib. 5. cap. 22. ubi etiam docet pro leui, & temporaria praedicatione esse in arbitrio Parochi admittere Regulares ad concionandum sine licentia Episcopi, nam Concilium loquitur de diuturna, & ordinata praedicatione. Idem etiam in favorem Regularium tenet Henriquez lib. 10. cap. 23. in Glossa, littera L. Alter Rodriquez in Compend. Q. Q. Regul. resol. 112. num. 1. in fine. Campanili in Diner. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 20. quos citat Barbosa ubi infra. Vide etiam Laurentium de Peyrinis in Privileg. Minim. tom. 3. c. 2. num. 11.

2. Verum licet me citato hanc sententiam teneat etiam Franciscus Bordonus in Consilijs Regularium, resol. 7. num. 16. tamen num. 17. observat, ut ego ubi supra observavi, praxim esse in contrarium, & ita declarasse Sacram Congregationem die 22. Ianuarij 1628. afferentem posse Episcopum examinare Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quae non sunt suorum Ordinum. Et de hac declaratione testatur etiam in Concilio sess. 5. capite secundo, numero 20.

§. 1. **N**egativam sententiam ex Barbosa, Miranda, & Peyrino docet novissimè Pellizzarius in Manual. Regular. tom. 1. tract. 8. c. 4. sect. 1. numero. 22. Quia si quod ius habent Episcopi examinandi Regulares Concionaturos in aliena Ecclesia, maxime est ex Concilio Trident. sess. 23. c. 15. statuente, nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus indicetur: cum tamen potius oppositum in Concilio praefato decernatur; statim quod sess. 5. cap. 2. Praedicatorum Regularium examen de vita, moribus, ac scientia ibi committitur ipsorum Superioribus, seu potius supponitur esse de iure commissum: eoque praemisso Regulares praedicaturi, solum obligantur ad petendam licentiam, aut benedictionem ab Episcopis modo supra dicto: idque nulla mentione examinis facta: In odiosis autem, (cuiusmodi utique est examen, de quo hic) non est faciendum extensio à calu expressio ad non expressum; & consequenter ex eo, quod Regulares subiciuntur examini Ordinariorum, ad hoc ut approbentur pro confessionibus; non sequitur illos etiam subici examini, ad hoc ut approbentur pro praedicatione: cum haec duo sint diversa, & à diversis non fiat illatio praesertim cum Leo X. in sua Constitut. 21. relata in Bullar. tom. 1. statuatur, ut Regularis praedicaturus, non solum examinetur per suum Superiorem (onerans in hoc conscientias superiorum,) sed etiam ut ille quicumque praedicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua per litteras authenticas, seu alias sui examinatoris fidem legitime faciat. Ex quo constat vi praesentis Constitutionis denegari Episcopis potestatem examinandi Praedicatorum Regulares hoc ipso, quod hi adstringuntur exhibere Episcopis testimonium authenticum suae doctrinae per examen exploratae, ut sic ipsis sufficienter innotescat illorum idoneitas: aliàs quippe inutilis esset exhibitio talis testimonij, nihilque onerarentur Regulares, si ad obtinendam licentiam praedicandi necessario subici deberent examini, tum Episcoporum tum Superiorum Regularium. Huculque Pater Pellizzarius, qui pro hac sententia citat Campanilem, & Cespedem, & me etiam adducit in p. 3. tract. 2. resol. 111.

2. Sed ego ibi adduxi tantum Mirandam, & Peyrinum, nec illis adhaesi, imò dixi, praxim esse in contrarium, quam video canonizatam à Sacra Congregatione Concilij in vna Vngentina die 22. Ianuarij 1622. cuius verba haec sunt. Praedicare volentes Regulares in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt examinare potest Episcopus. Hanc declarationem addocit, & sequitur Barbosa in decis. Apost. Collect. 591. num. 3. Bordonus in Consil. Regul. tom. 1. resol. 7. n. 15. & Lezana in summa tom. 3. verb. Concionari, num. 7.

3. Ad id verò, quod asserit Pater Pellizzarius di-

Sup. hoc in duabus praecedentibus Res. & in Res. seq. §. vi. & in fine Res. 57. verif. Sicut etiam.

Quae hic est infra Res. 55. §. vi.